stupore illi, suaeq̃ illum sententiae patronum &
astipulatorem publice profiteri ac dicere non
erubuerint. Norant namq̃ ac sentiebant Viperae
illae astutae frustra se conari foetus suos in has
Ecclesias exponere atq̃ intrudere, nisi praetextu
nominis & fidei Viri illius summi, fucum
qualemcunq̃ Consensionis ac ὁμοψυχίας cum
ipsis, imperitis prius facerent atq̃ offunderent,
cumq̃ uel inuito Philippo quoquo modo ex-
tunderent atq̃ exprimerent. Norant & faci-
litatem ac bonitatem Viri illius sancti
& optimi, qui ut erat ad συμβίβασιν ac
coniunctionem Ecclesiarum factus a natura,
& excitatus diuinitus, Ita uel cum iactura
existimationis suae quiduis potius facere con-
stituerat, quam scripta publica commenti illius
Sacramentarij refutatione, & sibi & his Ecclesijs
certamina & inimicitias attrahere cum his,
quos notat in defendenda sententia fanatica esse αὐτοκατα-
κρίτους, & plane insanabiles: Proinde ergo illi
impudentiae fines serrat egressi patientiaq̃ illius ipso
uiuente egregie abusi, post mortem quoq̃
illius grauiter impudentes esse non desierunt,
praesertim unas atq̃ alteras adepti ab illo literas
in quibus de summa Rei, pro sua moderatione,